



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Christus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

577 Sic omnes Deos referri ad Solem probat Macrobius Sat. 1. c. 27.

Theologi tam vetustae Religionis, quam nostrae pietatis interpretes, Deum Opt. Max. & unum & lumen & bonum appellaverunt. Eaque ratione Sol cum sit unus, unde illi nomen, quippe a solitudine sit lumen, ut sensu manifestum est: sit bonus, ut quotidiano cernitur experimento; Dei ipsius hieroglyphicum nullo alio signo addito, perhibetur. Et profano vero cultu ante omnes Persae, reliqua Deorum omnium, quam gentes ipsae venerabantur, caetera rejecta, Solem Deum esse unicum arbitrabantur, ita ut nulla Diis templa condenda esse crederent, ea inducti ratione, quod uni Soli, quem colerent, vix mundus ipse sufficeret. Pythagoras tanta eum veneratione profecutus est, ut adversus eum nefas esse dixerit lotium effundere: utpote quem omni cultu dignum arbitraretur. Et Hesiodus praecipuum hoc summa religione observandum adhortatur. Omnino autem Gregorius Theologus id esse Deum dicit inter intellectuales creaturas (his enim locutionibus utuntur, qui divina tractant) quod Sol inter sensibiles. Quae vero de Solis similitudine cum Deo referuntur a Joanne, a Paulo, ab Hierotheo, absolutissime vero a Dionysio, qui horum documenta literarum monumentis quam diligentissime commendavit, cum ea quotidie per templa scholasque omnes commemorata recitentur, ea hic ego duxi praetereunda, Phoenicum interim & Aegyptiorum inventis gratulatus, qui primi omnium, ut Eusebius memoriae proditum ait, Solem & Lunam & Stellas ita esse Deos intellexere, ut eos tantum gignendarum abolendarumque rerum omnium causam affirmarent, quod iis congruit, quae Plato Legum XII. de Parcibus philosophatur. Nam & Anaxagoras Solem esse, hoc est, ferrum candefactum, arbitratus est, atque ita omnia ex eo gigni conformarique affirmabat. Ferrum enim ita dispositum, in quod volueris opus informabis. Magnificentius Euripides Anaxagorae discipulus, cum eodem sentiens, Solem Auream glebam appellavit. At Socrates apud eruditissimum optimumque Xenophontem eos reprehendit, qui Solem Deum posuere, lumenque ejus & formam ad Deum Optimum Maximum refert, quod omnis ejus potestas & magnitudo a Deo sit, a quo una cum Luna fuerit creatus. Eaque ratione reprehendit & Homerum & caeteros omnes, qui Solem unicum esse Deum crediderunt.

Πρός τὸν ἥλιον τὴν θεομμελὸν μὴ ὀμῶν, ἄδύρσις ἡλίου νεῖκίτιο. Ἡλίου εἰκίδρον εἶναι, ἢ διέπυγου. Solem candefactum esse ferrum. Est ac penitus ignitum. D. Laer. in ejus vita. Socratis pia opinio.

UNITAS. CAP. III.

Quid autem est in rebus, quae nostris obijciuntur oculis, quod unitatem significare possit, nempe Solis est: id quod uti dicebamus, locutionis etiam etymon attestatur, a solitudine deductum, sive potius a Sole ipso fiat solitudo. Sapienter itaque Alexander Macedo Dario amicitiam petenti respondit, nec mundum duobus Solibus posse regi, nec duo summa regna salvo statu terrarum haberi posse, quam sententiam ex Aristotelis Ethicis sibi desumpserat, qui discipulo adulaturus, tum haec, tum illam praecipue Homeri sententiam praeterebat:

Διὸν Ἀλεξάνδρι Μακεδονίῳ.

Ὅτι ἀγαθὸν πολυκοίτην, εἰς κοίτην ἔσω, εἰς βασιλεύς.

Nō est bonū plures auctoritates habere, sit unicus princeps ac rex.

Quod vero Solem in rebus egregie unum esse dicebamus, extra res Deus quoque unus, & ἕνός cognomento ab Orpheo, a Platone, & a nostris agnoscitur.

VERITAS. CAP. IV.

Et qua ratione Sol unus est, eadem est veritatis hieroglyphicum, duplicia enim & multiplicia sunt veritati contraria. Simplex igitur sit, necesse est, quod verum censeferi debeat. Hinc nudum effingitur ipsius veritatis signum: & quia omnia habet in conspicuo, ex eo praecipue veritas est. Hinc Pythagoras ἀεὶ τὸ ἥλιον περιεμμένον, quempiam loqui non debere monuit, facie scilicet contra Solem versa, quod non esse manifestis repugnandum significare contendit, neque hominem loqui fere posse, quod undecumque verum sit, cum omnem hominem divinae litterae mendacem esse dicant. Sane de iis, quae liquido patent, a pertamque in se continent veritatem, dici solet: Meridiana esse luce clariora.

Et veritas nuda ab illo ratio lib. 1. Crim. Adversus Solem.

CHRISTUS. CAP. V.

A sacrae passim litterae CHRISTUM per Solem imaginari tradunt, ut illud: In Sole posuit tabernaculum suum, & Exiit de tribu Juda cujus signum est Leo Solare animal. Plato in Rep. ut solet mysteriis suis inhaerescens, & Prophetarum quos adiit & audivit, oracula depromens, Solem visibilem Dei filium appellat: quippe qui Deum ipsum exscribere non audeat, & a quoquam fieri posse diffidat. Atque

